UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

De Ivstitia Et Ivre, Continens Tractatvs De Prvdentia, Fortitvdine, & temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia commutatiua, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione, & Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de Emptione, & ...

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

6. Qualiter executiones, & possessiones creditorum tertij oppositione impediantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76677

Visual Library

pract. quæſt. 31. num. 5. non audeat in Gallia propter vſum receptum condemnare. At vbique exterminanda eſt, quia non ſolum perſonæ, ſed bona Monaſteriorum, & Clericorum à Iudice ſæculari exempta eſſe tradunt communiter Doctores in *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ de conſtitution.* teſte Menochio, *de recuperar. rem. 15. numero 210.* & *de arbitrar. caſu 160. & 246.*

5 Aliis placet remedium eſſe, ſi conuentus particularis ſe ſubiiciat Epiſcopo ex licentia præfecti generalis totius Ordinis, quia huic præfecto videtur conceſſa facultas diſponendi de his quæ ad totius Ordinis regimen ſpectant. Sed vt rectè inquit Felician. *d. t. 2. lib. 2. cap. 3. in calce. num. 17.* Generali Præfecto conceſſum non eſt diſponere de his quæ in præiudicium Pontificis cedunt, ſicuti eſt exemptionis materia. Quare ipſe cui ego libenter adhæreo ſentit nullum eſſe ſufficiens remedium præterquam adire legitimum ſuperiorem religionis exemptæ qui eſt Pontifex, vel nuntius Apoſtolicus iuxta *cap. ſi Abbatem. de elect. in 6.* & ab iis impetretur facultas ſe ſubiiciendi Epiſcopali iuriſdictioni quoad executionem cenſus.

§. VI.

Qualiter executiones & poſſeſſiones creditorum tertij oppoſitione impediantur?

1 *Triplex diſtinctio aſſignatur.*
2 *Quid debet præſtare tertius oppoſitor?*
3 *Quid cum poſt ſententiam ſe opponit?*
4 *Quid cum poſt poſſeſſionem bonorum?*
5 *Creditor cui datur bonorum poſſeſſio qualiter excuſet reſtitutionem bonorum?*

1 HAnc quæſtionem optimè declarat Velazquez de Auendaño *lib. de cenſib. Hiſpaniæ c. 109.* triplicem diſtinctionem aſſignans. Nam ſi tertius oppoſitor ſe opponit facta executione allegando non poſſe executanti bona adiudicari, quia ipſe eſt creditor anterior, & præferendus executio ſuſpenditur nulla ex parte executantis præſtita cautione, eo quod executans nullam habeat poſſeſſionem bonorum debitoris, ſed tantummodo actionem, quam etiam actionem habet tertius ſe opponens quamuis non æquè probatam. Ergo mirum non eſt quod impediatur poſſeſſio, & bonorum adiudicatio.

2 Debet tamen hic tertius oppoſitor ſi ius commune ſpectemus ſaltem ſummariè, & ſemiplene de iure ſuo docere iuxta *cap. veniens. de teſtibus,* aliàs non erit audiendus. At inſpecto iure noſtro regio, *leg. 41. tit. 4. lib. 3. nouæ collect.* nihil aliud opus eſt niſi quod ſe executioni opponat. Nam eo ipſo via executiua ceſſare debet, & ordinaria incipere, in qua vnuſquiſque de iure ſuo docere debet.

3 Idem fermè eſt dicendum, cum tertius ſe opponit executioni poſt ſententiam de remate, ſuſpendi enim debet oppoſitione tertij poſſeſſio bonorum creditori executanti concedenda, ne cauſa tertij oppoſitoris deterior reddatur conceſſa executanti poſſeſſione. Debet tamen hic tertius oppoſitor in hoc caſu præſtare cautionem, de qua *in l. is à quo. ff. de rei vindicat.* Hanc doctrinam colligit Velazquez ex *d. leg. 41.* regia quæ ſolam poſſeſſionem ponderat, vt executio non ſuſpendatur. & ex *cap. veniens de teſtib.* per argumentum à contrario.

4 Quod ſi tertius oppoſitor ſe opponat poſt poſſeſſionem bonorum conceſſam creditori duplex remedium habet. Primum appellationis apud ſuperiorem pro reuocatione ſententiæ. Secundò intentando via ordinaria tanquam antiquior, & potior creditor poſſeſſionem reuocare. Quocumque ex his modis agat creditor poſſeſſionem nactus à poſſeſſione non deturbatur, quouſque à iudice ſententia executionis, & poſſeſſio data reuocetur. niſi fortè in concurſu creditorum poſſeſſio data fuerit, quia ratione huius concurſus creditores ius & poteſtatem obtinuerunt, ne alteri in eorum præiudicium bonorum poſſeſſio concedatur, quouſque vniuſcuiuſque ius rectè examinatum fuerit. ex *leg. pupillus. ff. quæ in fraudem creditorum,* & ex *leg. ſi non expedierit. §. ſi pupillus. ff. de bonis authorit. iud. poſſidend.*

5 Verum ſi creditor, cui in aliorum concurſu datur bonorum poſſeſſio, vel alio modo debitum recuperauerit, fideiuſſores dederit de ſtando iuri, & reſtituendo quando ſibi iuſſum fuerit, neque à poſſeſſione deturbatur, neque reſtituere acceptum cogitur. Vt latius hæc omnia expendit, & Doctoribus exornat Auendaño *d. cap. 109. per totum.*

***

Pvnctvm XXX.

An ceſſet redditum curſus, ſi cenſuarius dimittat res cenſui ſuppoſitas?

1 *Affirmant plures.*
2 *Sed diſtinguendum eſt de cenſu reali vel perſonali & mixto.*
3 *Cum conuenitur actione hypothecaria liberatur dimittens rem cenſui ſuppoſitam.*
4 *Soluuntur contraria.*

HVcuſque actum eſt de conſtitutione cenſus, illiuſque debita ſolutione ſupereſt agendum de illius diſſolutione. Et in primis verſatur quæſtio, an curſus redditum extinguatur, ſi cenſuarius res cenſui ſuppoſitas dimittat.

Plures quorum meminit Tiraquel. *de retractu lignag. §. 1. gloſſ. 6. num. 2.* Affirmatiuam partem tuentur, eo quod cenſus ſit quædam ſeruitus prædio annexa, ac proinde dimiſſo prædio ſeruitus ceſſare debet. *l. ſi forte §. etiam. ff. ſi ſeruitus vendicetur.* Deinde penſionarius ſatisfacit obligationi penſionis ſoluendæ dimittendo fructus beneficij. Vt reſoluit inter alios Franciſc. Burſat. *conſ. 361. numero 18.* quia ex fructibus beneficij penſio ſoluenda erat. At ex fructibus rei cenſui ſuppoſitæ cenſus ſoluendus eſt. Ergo dimiſſa re cenſus ceſſabit. 1

Hæc tamen quæſtio diſtinctione ſoluitur. Si enim cenſus realis ſit, & iuxta conſtitutionem Pij V. inſtitutus in re aliqua certa, & determinata fructifera, eius dimiſſione cenſus ceſſat, quia cenſuarius non eſt cenſui aſtrictus ratione ſui, ſed ratione rei quam poſſidet. Vt benè reſoluit Caſſaneus *in conſuetud. Burgundiæ. Rub. 9 § 8. numero 4.* pluribus comprobat Auendaño *de cenſib. cap. 110.* At ſi cenſus perſonalis ſit, vel mixtus bona addicuntur, non vt ex ipſis fiat neceſſariò ſolutio, ſed vt ex ipſis fiat ſecura: quandoquidem ſolutioni ſupponuntur in aliorum bonorum defectu. Ergo ex eorum dimiſſione curſus redditus non ceſſat, cum perſona quæ eſt principaliter obligata ſubſiſtat. Vt pluribus comprobat Felician. *de cenſib. 1 p. lib. 3. cap. 4. ante num. 9.* & *2. p. p. lib. 1. cap. 1. num. 6.* 2

Illud certum quando debitor cenſus, aut eius hæres non actione perſonali, ſed reali hypothecaria conueniretur, liberari dimittendo rem cenſui ſuppoſitam, vt probat *lex 2. Cod. ſi vnus ex pluribus hæredib. creditor. vel debitor.* Et aduertit in præſenti Felician. *dict. cap. 1. num. 6.* Auendaño *dict. capite 110. num. 2.* 3

Neque rationes contrariæ vrgent. Solum namque probant priorem partem noſtræ ſententiæ, cum cenſus conſtituitur in re aliqua certa, vt ex ipſa, eiuſque fructibus penſio ſoluatur. Secus, cum in perſona conſtituitur, & ad ſecuritatem ſolutionis bona ſupponuntur. 4

Pvnctvm XXXI.

An pereunte re cenſui ſuppoſita cenſus pereat?

1 *Inſpecta bulla Pij V. perit.*
2 *Idem plures cenſent inſpecto iure communi.*
3 *Sed verius eſt contrarium maximè in Hiſpania.*
4 *Soluitur fundamentum contrarium.*
5 *Licitum eſt pactum, quo cenſuarius obligaretur cenſum ſoluere pereuntibus hypothecis.*

LOqui poſſumus inſpectâ bullâ Pij V. & inſpecto iure communi. Si bullam Pij V. inſpiciamus certum eſt pereunte re in perpetuum ex toto, vel ex parte perire, quia ipſi tanquam fundamento nititur. Quod adeo verum exiſtimo, vt etiam ſi malitia, & dolo cenſuarij res cenſui ſuppoſita perierit, perire cenſus debeat. Vt rectè docuit Nauarr. *comment. de vſur. num. 118.* Eman. Roderic, *tract. de cenſib. condit. 5. dub. 2.* Salas *tract. de cenſib. dub. 11. & dub. 13. circa finem.* Aſtringitur tamen cenſuarius ratione malitiæ & doli ad compenſandum cenſitori omne intereſſe, ac proinde debet & penſionem ſoluere, & cenſum in alia re eiuſdem conditionis, & valoris creare. Vt benè Salas adnotat. 1

Inſpecto autem communi iure adhuc grauiſſimi Doctores cenſent pereunte re ſaltem immobili cenſui hypothecata euaneſcere cẽſus redditum. Sic docuerunt Gab. *in 4. d. 15. q. 12. litt. Q. ad 6.* Ioan. Medina *q. vlt. de cenſib. ad finem.* Ioann. Bapt. Lupus, *de vſur. comment. 2. §. 2. num. 63.* Sarmiento *7. ſelect. cap. 1. num. 29.* Valen. *2. 2. diſp. 5. quæſt. 22. pun. 2. corol. 6. & pun. 7. in fine.* Rebell. *de obligat. iuſtit. 2. p. lib. 10. quæſt. 1. num. 7. & quæſt. 6. condit. 4.* Tolet. *lib. 5. quæſt. 39. num. 4.* Molin. *t. 2. tractatu 2. diſp. 383. & diſp. 394. dub. 3.* Leſſius, *lib. 2. c. 22. dub. 5.* & 2